N. II.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno MDCLXXXIII.

S. CÆCILII CYPRIANI Opera recognita & illustrata per JOHANNEM OXONIENSEM Episcopum. Accedunt Annales Cyprianici, sive tredecim annorum, quibus S. Cyprianus inter Christianos versatus est, historia chronologica delineata per JOANNEM CESTRIENSEM.

Oxonii, 1682. in fol.

Quem in frontispicio egregii hujus operis figura æri incisa capite plexum sistit, Cæcilium Cyprianum Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum, hunc in ipso opere vivum adhuc & spirantem animadvertimus. Relicta enim a Sanctissimo Præsule tractatuum & epistolarum monumenta perlustrare nemo potest, quin ejusdem ingenium sacris & profanis literis excultissimum, pectus seculi contemptu & insigni pietatis zelo flagrans, os ad facundiam animos penetrantem natum atque factum, oculos ad disciplinæ ecclesiasticæ custodiam assidue intentos, viscera ardentissima caritate & misericordia erga captivos, exules, & paupertate pressos redundantia, totumque spiritum corporis ergastulo pro Christi gloria cum omni sanguine egredi paratum, velut in speculo nativis coloribus repræsentari deprehendat.

Ac jam olim quidem labor iste Viros de re literaria & Christiana præclare merendi cupidos occupavit, ut Beatissimi hujus Martyris scripta ex Bibliothecis collecta & a mendis repurgata, quo omnium oculis usurpari manibusque versari possent, prælo subjici curarent. Nam post vetustissimam ipsique arti typographicæ pene coævam editionem, quæ *Spiræ* A. C. 1471 prodiit; & aliam antiquam, cujus neque patriam neque ætatem Typographus notavit; & *Parisiensem*, quam A.

C. 1512 *Gulielmus Remboldus* procuravit; *Erasmi Roterodami* opera denuo Cyprianus A. C. 1520, & 1525 ex *Frobenii* officina emendatior, auctior & nitidior in publicum exivit. Intra idem tempus *Coloniæ* A. C. 1520 apud *Henricum Alopecium*, & ibidem A. C. 1522 apud *Johannem Soterem* Cypriani opera excusa sunt, quæ deinceps *Lugduni* A. C. 1528. 1537, 1549, & 1550 *Sebastianus Gryphius*, & *Parisiis* A. C. 1541. *Arnulphus Langelier* e suis officinis typis iterum expressa publicarunt. Neque hic prætermittendum *Henrici Gravii* in exornando Cypriano studium. Is enim *Coloniæ* A. C. 1544 notas suas in officina *Quenteliana* impressas ejusdem operibus adjecit. Hunc *Romæ* A. C. 1563 *Paulus Manutius*, qui quatuor epistolarum libris quintum addidit, & paulo post *Parisiis* A. C. 1564 *Gulielmus Morellius* excepit. Sed omnes operosis suis in Cyprianum lucubrationibus, quæ *Antverpiæ* A. C. 1568, & 1589; *Parisiis* A. C. 1574, 1603, & 1616, nec non *Coloniæ* A. C. 1617 lucem publicam aspexerunt, prætergredi conatus est *Jacobus Pamelius* Canonicus Brugensis. Hic enim codicibus editis pariter & manuscriptis diligenter inter se collatis Cypriani opera novo plane ordine digesta, & tribus tomis distincta annotationibus suis illustravit, ut vitam Cypriani ex ejusdem scriptis contextam, & locupletissimos indices ipsius cura concinnatos taceamus. Atque hæc Pamelii in illustrando Cypriano diligentia longe majoribus encomiis digna foret, si ad propositum hoc, præter industriam, sincerum & nullis partium præjudiciis addictum animum attulisset, nec primitivæ Ecclesiæ statum, invito Cypriano, ad hodiernos Ecclesiæ Romanæ mores accommodare laborasset. Quod cum animadverteret *Simon Goulartius*, operæ pretium facturum se existimavit, si Pamelianis annotationibus responsiones suas, ubi opus foret, superadderet, quas *Genevæ* A. C. 1593. cum Pamelianis annotationibus, diverso charactere conjunctim editas, Ecclesiarum in Belgio Reformatarum Pastoribus & Symmystis dedicavit. Nostro vero seculo de Cypriano egregie meruit Vir Clarissimus *Nicolaus Rigaltius*. Cum enim prius Tertulliano operam suam impendisset, postea etiam Cyprianum, Magistro suo Tertulliano, cujus quotidiana lectione valde delectatus est, haud inferiorem, ad fidem optimorum codicum accurate recognovit, & eruditis observationibus, quas galeata, ut appellat, præfatione munivit, A. C. 1648 *Lutetiæ Parisiorum* illustravit, iisdemque ignoti Auctoris de non iterando hæreti-

corum

eorum baptismo tractatum nunquam antea editum interjecit. Et ex hac Rigaltii recensione, cum ejusdem annotationibus integris, nec non Pamelii & aliorum Commentariis sparsim interjectis, Cyprianum *Parisiis* A. C. 1666. rursus edidit *Philippus Priorius*, qui suas etiam annotatiunculas adjecit, & eandem rationem in Minutio Felice, Arnobio, Firmico Materno, &, Commodiano, quos cum Cypriano simul uno volumine complexus est, servavit.

Sed his jam omissis ad postremam Cypriani editionem, quam indefessa plurimum annorum diligentia adornatam superiore demum anno in Anglia Viri incomparabili doctrina, singulari erga exteros humanitate, & maximis in rem literariam meritis insignes, *Joh. Fell* Oxoniensis & *Joh. Pearson* Cestriensis Episcopi vulgarunt, veniamus. Ea vero post elegantissimam præfationem, primum genuina Cypriani opera in Tractatus & Epistolas distincta hoc ordine exhibet, ut tractatum de Dei Gratia ad Donatum, reliquos tractatus seu libellos de idolorum vanitate, de testimoniis adversus Judæos ad Quirinum, de habitu virginum, de unitate Ecclesiæ, de lapsis, de oratione Dominica, de mortalitate, de exhortatione martyrii, ad Demetrianum, de opere & eleemosynis, de bono patientiæ, nec non de zelo & livore scriptos, quibus Concilium Carthaginense de baptismo hæreticorum Præside Cypriano habitum subjicitur, excipiant Epistolæ partim pacis tempore, partim in secessu, partim post reditum, partim in exilio, partim post reditum ab exilio, & partim denique in ultimo secessu paulo ante mortem exaratæ. In quibus cum neque Erasmi, neque Pamelii ordo servatus fuerit, ne quem hæc varietas perturbaret, recepti hactenus numeri ad principium cujusque epistolæ in margine signantur, in quo etiam per universa Cypriani opera singulorum librorum & capitum argumenta, & allegata S. Scripturæ dicta, & temporum, quibus Carthaginensis Ecclesiæ Antistes libellos suos & epistolas edidit, momenta diligenter annotantur. Ipsi vero contextui, majoribus literis expresso & certis paragraphis distincto, variæ plurimorum codicum undique diligenter conquisitorum lectiones, & post exigui intervalli discrimen doctissimæ Oxoniensis, quem laudavimus, Episcopi annotationes, quibus integer fere Rigaltius simul interseritur, ad singularum paginarum calcem attexuntur.

Cæterum cum jam olim librariorum vel inscitia vel ad lucrum

ſuum ingenioſa perverſitas Cypriano non minus ac aliis Eccleſiæ Patribus ſpurios quosdam fœtus obtruſerit, hæc etiam Cypriano adſcripta vulgo opuſcula, ſive genuinis ſuis Auctoribus vindicata, ſive ignotis & incertis Auctoribus relicta, cum liberali mantiſſa quorundam hactenus nondum editorum, ſeorſim acceſſerunt. Longum nimis foret omnium iſtorum opuſculorum, quæ Reverendiſſimus Fellius itidem variarum lectionum collatione & ſuis annotationibus illuſtravit, ſeriem recenſere; quocirca ea tantum, quæ in reliquis editionibus, Rigaltianis etiam & Pamelianis, deſiderantur, breviter notamus. Atque hic primo loco *Arnoldi Carnotenſis* Bonæ Villæ Abbatis, cujus librum de Cardinalibus Chriſti operibus Cypriano perperam adſcriptum a Librariis fuiſſe jam pridem Viri docti monuerunt, *Opera omnia* cum ejusdem *meditationibus*, quæ hactenus delituerant, nunc primum ſimul edita occurrunt. Neque ſilentio prætereunda *S. Cypriani Pœnitentia* ſeu confeſſio, *juxta fidem Bodlejani* codicis & aliorum exemplarium nunc primum evulgata, quam illuſtriſſimus Editor ante Conſtantini M. ætatem compoſitam, & illam ipſam ἐξαγόρευσιν vel ſaltem ejus partem eſſe exiſtimat, cujus in Panegyrico Cypriani *Gregorius Nazianzenus* meminit, quam *Gelaſius* cum Concilio Romano inter Apocrypha rejecit, & quam *Phocius* in Bibliotheca ſua prolixius exponit, dum Cod. 184 tres de Cypriano Martyre libros ab Eudocia Auguſta heroico carmine redditos enarrat, quorum primus res Juſtinæ Virginis, ſecundus Cypriani juvenilem ætatem magicis artibus & peſſimis quibusque flagitiis infamem, & tertius utriusque martyrium perſequitur. Equidem cum hodierna Eccleſia Græca pariter & Romana duos Cyprianos Martyres & Epiſcopos agnoſcat, unum Carthaginenſem, & alterum Antiochenum, cui vulgo tribui ſolent quæ de magia & Juſtinæ amoribus veteres nonnulli tradunt; exinde plerique hactenus exiſtimarunt, Nazianzenum, Prudentium & reliquos, qui horum veſtigiis inſiſtunt, nominum ſimilitudine deceptos Cyprianum Carthaginenſem cum Antiocheno confudiſſe. Verum cum Gregorium Nazianzenum ea quæ paulo ante ætatem ſuam Antiochiæ geſta perhibentur, tam immani errore ad Cyprianum Carthaginenſem retuliſſe haud probabile videatur, & jam priſcis illis ſeculis fingendi licentia & credendi facilitas rerum geſtarum fidem perturbaverit, Illuſtriſſimo Fellio veriſimillimum videtur, Chriſtianum

aliquem

aliquem, dum Cypriani acta posteritati commendaret, ne res ejus gestæ nimis humiles & quotidianæ viderentur, pia quadam fraude prodigiosas illas narrationes attexuisse, &, ut patriam suam demereri posset, dramatis hujus scenam Antiochiæ posuisse, & hæc figmenta alios quidem credidisse, alios autem, cum hæc Cypriano Carthaginensi minus convenire perspicerent, Cyprianum quendam Antiochenum in theatrum produxisse: quamvis ne sic quidem somnia ista cum personarum, locorum atque temporum circumstantiis ita cohæreant, ut non mendacium ubique pellucere periti rerum æstimatores deprehendant. Ex his igitur fontibus profluxit illa Cypriani Pœnitentia seu confessio, cujus particula aliqua in Latinum e Græco sermone conversa nunc cum aliis Cypriano vulgo adscriptis opusculis publicatur. At Cypriani secreta, & librum Græco idiomate ejusdem orationes complexum, postquam e membranis describi Reverendissimus Præsul curaverat, religioni habuit in publicum edere, quod fœda barbarie & superstitiosis dæmonologiæ mysteriis scaterent. Succedit igitur *Cypriani de Pascha Computus* seu *expositio bissexti* ex codice Cottoniano & Rhemensi, quem *P. Mabillon* Ord. Benedict. pro suo erga Antiquitatum Ecclesiasticarum studium amore ex Gallia suppeditavit, cum *Jacobi Usserii* Archiepiscopi quondam Armachani, *Thomæ Gale* S. Theologiæ Professoris, & *Johannis VVallisii* Geometriæ in Oxoniensi Academia Professoris, conjecturis & notis edita. De qua cum Viri docti varie sentiant, Cl. Fellio probabile videtur, opus hoc Paschale, quod Cypriani seculo non indignum judicat, illum ipsum librum esse, quem Paulus Diaconus tanquam Chronicum non inutile a Cypriano conditum laudavit.

Sed de his Cypriani opusculis pro instituti ratione satis diximus. Pergimus igitur ad *Annales Cyprianicos* a *Johanne Cestriensi* elaboratos, a quibus quantum lucis S. Cypriani operibus accedat, æstimare quilibet facile potest, qui in Auctorum scriptis accuratum historiæ ordinem commentarii vicem supplere cogitaverit. Quamvis vero vita S. Cypriani, a principio fidei susceptæ & cœlestis nativitatis usque ad martyrium deducta, breve admodum annorum spatium complectatur; vix credi tamen potest, quantis difficultatibus hæc tempora laborent, cum præsertim intra tredecim hos Cypriani annos quinque Episcopi Romanæ Ecclesiæ præfuerint, nec pauciores Successores Impe-

Imperium tenuerint Romanum: quorum chronologiam admodum confusam & perturbatam cum Cypriani annis & rebus ab ipso gestis ita conciliare, ut ad amussum omnia quadrent, magnis utique constare laboribus oportet. Sed nihil in Historia Ecclesiastica tam arduum est, quod Viri hujus celeberrimi ingenio impervium esse possit. Itaque per omnes istas difficultates feliciter eluctatus, quid Cyprianus non modo singulis annis, sed singulis etiam fere mensibus egerit exploravit, ut non tam Annales Cyprianicos, quam Cyprianica menologia scripsisse videatur. Simile quid ante Cestriensem Episcopum *Pamelius* tentavit, in Cypriani scriptis, & præcipue epistolis, idem præstare conatus quod in Ciceronis epistolis ad Atticum juxta temporum seriem digerendis Manutius præstitit: sed receptæ Pontificum Romanorum chronologiæ nimis inhærens haud raro a recto tramite aberrat, & lectorem secum in transversa rapit. Nec satis feliciter Pamelianos calculos Annalium Ecclesiasticorum conditor *Baronius* correxit. Meliorem in hoc ordine disponendo operam posuit eruditissimus *Lombertus*, sed cum ea res ulteriorem adhuc diligentiam postulare videretur, id operis Cestriensis Episcopus in se suscepit, quod ut ipse in præfatione horum annalium fatetur, non sine maximis molestiis consummavit, dum omnes temporis notas in Cypriani epistolis & libellis expressas excuteret, Imperatorum & Pontificum Romanorum annos observaret, & ut singula inter se & cum iis, quæ *Cornelius*, & *Pontius*, & *Dionysius Alexandrinus* eodem tempore divulgarunt, collata amice conspirare possent, solicitus curaret.

Annalibus his Cyprianicis Vita Cypriani per *Pontium* ejus Diaconum descripta subjungitur, cum passione Cypriani, & Veterum quorundam Scriptorum elogiis, & septem indicibus, quibus admonitio ad lectorem inserta legitur de notis Senecæ & Tironis, quas S. Cyprianus auctario satis grandi locupletasse fertur, dum vocabula Christianorum usibus necessaria adjiceret, quæ in Codice a *Grutero* edito affatim comparent.

Quod superest, Cl. Virum *Henricum Dodwellum*, ut observationes suas Cyprianicas, quarum edendarum spes nobis facta est, orbi literato communicare haud moretur, communi nomine rogamus, summopere gaudentes, tot præclaros Viros quasi agmine facto in id incumbere, ne in Cypriani cultu quicquam amplius desiderari possit.

Mel-

MELCHIORIS LEYDECKERI S,S. Th. Doct. & Prof. de œconomia Trium Personarum in negotio salutis humanæ libri VI, quibus universa Reformata fides ex certis principiis congruo nexu explicatur, demonstratur, ac defenditur,

Trajecti ad Rhenum, 1682. in 12.

POstquam Theologia Christiana in Scholis per modum artis, servato doctrinarum certo inter se invicem nexu, tradi cœpta est, nulla propemodum secta fuit, quæ non placitis magistrorum suorum insistens, peculiarem & scopo suo commodam elegerit methodum. Ac, ut de aliis heic taceamus, nuper apud Reformatos Theologos in Belgio Fœderato celeberrimus *Melchior Leydeckerus*, seriem dogmatum Theologiæ suæ, novo invento ordine, ex œconomia gratiæ Trium SS. Personarum in negotio salutis occupatarum ordinare instituit. Nam operum gratiæ salutarium dispensationem, distributionem, atque patefactionem, prout terminantur ad SS. Trinitatis Personas distinctæ, *œconomiam*, ex *Ephes. I. 10, Coloss. I. 25* sumto vocabulo, nominat.

Præmissa est opusculo erudita præfatio, qua Ecclesiam Christianam per Judaismum & Gentilismum potissimum oppugnatam & corruptam fuisse docet, omnem simul in fide Christiana errorem, istius SS. mysterii impugnationem esse statuit. Libere vero in eadem pronunciat, illorum methodum sibi non probari, qui hodie (Coccejanos haut dubie notat,) omnem Theologiam ad œconomiam fœderum Dei reducunt: partim quod illa non equæ ac SS. Trinitatis œconomia, omnium fidei veritatum demonstrationem, tanquam principium præstet; partim quod illa SS. Trinitatis œconomiam præsupponat; quippe in qua hæc manifestetur πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, fœderisque adeo sit promissio: *Ego sum DEUS tuus*, Justificator, Redemtor, Sanctificator. Quinimo nunquam fœderis œconomiam intelligi posse, nisi cognita prius SS. Trinitatis œconomia, contendit. Inde porro τῶν ἐξ ἐναντίας errores de fœdere & V. & N. T. derivat, quod non, ut ipse fecit, a SS. Trinitatis œconomia cœpissent θεολογεῖν. Hoc enim si factum, visuros illos fuisse putat, Filium

lium Dei Expromissorem fuisse, non fidejussorem, & trinam Trium Personarum gratiam semper viguisse ad patrum V. T. ut sanctificationem & salutem, sic etiam plenariam justificationem. Quod cum Coccejanis fuisset neglectum, Patri in V. T. negatam esse plenariam justificationem, uti Filio mediatorii muneris executionem ac expromissoriam (ut ipse loquitur) sponsionem, & Spiritui S. υἱοθεσίας testimonium cum conscientiarum tranquillatione.

Et hac de causa ipse ulterius hypothesi suæ incumbens, per omnes Theologiæ Reformatæ articulos, sex libris comprehensos, demonstrare nititur, Trium Personarum in negotio salutis humanæ operationem, variis Scripturæ S. locutionibus expressam. Ubi recte quidem cum Orthodoxis tradit, articulum modo nominatum *ita fundamentalem esse*, ut ex eo omnis Dei salutaris notitia dependeat. Sed dum trinam operationum salutarium œconomiam per singulas fidei Christianæ partes explicare aggreditur, Calvinianorum hypothesin de absoluto prædestinationis decreto, & qui inde fluunt alios errores, vel substernit, vel admiscet. Retenta igitur illa hypothesi, cum *libro I* generalia exhibuisset, Patri in *libro II* atribuit operationes, quæ ad Judicis officium & beneficiorum salutarium procurationem & destinationem pertinent: *Filio* in *libro III* eodem modo, quæ impetratoriæ & mediatoriæ sunt operationes, adscribit: *Spiritui S. libro IV* quæ applicationem & speciatim sanctificationem spectant, sine qua non est cum Deo Sancto peccatoribus commercium. Itaque pergit docere, Patrem in V. T. mysteria gratiæ & promissionem Filii sub umbris dispensasse, atque œconomiam legalem instituisse, data lege, qua suam majestatem, ut Domini, Creatoris, & Judicis ostendit, additis ceremoniis, quæ postulatam & præstandam per Mediatorem peccati expiationem demonstrarent; non negata interim per promissum Messiam remissione, ἀφέσει, quæ & Sacramentis sit obsignata. At ἐν πληρώματι τοῦ χρόνου (pergit) revelatum esse per incarnationem Filium. Qui quidem ut Propheta docuerit, obtulerit se in cruce ut Sacerdos; ac postquam παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, triumphans Rex assumtus sit in gloriam. Exinde factam esse Spiritus S. conspicuam revelationem; & quidem per symbola sensibilia, quando is in Christi locum παράκλητος successit, consedit veluti ad Ecclesiæ gubernacula, eamque, ceu suum templum, abundantissime sua

ſua replevit gratia ac donis, ſeu ordinariis ſeu extraordinariis, quæ deſcribuntur. His ita expoſitis *libro V* œconomiæ SS. Trinitatis objectum, quod Ecclesia eſt, declarat. Tandem conſummationem ejus pleniſſimam in fine ſeculorum futuram *libro ultimo* traditurus, quatuor Noviſſima, quæ Theologis dicuntur, hypotheſi ſuæ convenienter, ſed breviter explicat. Sub finem opuſculi, ſpecimen Oratoriæ eccleſiaſticæ, in gratiam S. Theologiæ cultorum editurus, tres exercitationes practicas, de *cognitione peccati ex lege: paupertate ſpirituali* ad Matth. V. 3. & *ductu Spiritus S.* annexuit, addito etiam epilogo, quo de methodi concionandi auctoribus apud Reformatos celebrioribus agit.

L. ANNÆI SENECÆ TRAGOEDIÆ cum notis Johannis Frederici Gronovii, auctis ex chirographo ejus; & variis aliorum.

Amſtelodami, 1682. in 8.

QUi primi formis exprimendos Scriptores veteres dederunt, nequaquam ex probatiſſimo quemque exemplari ſemper petierunt: interdum etiam in corrigendis, quæ non aſſequebantur, & propterea mendoſa putabant, nimium ſibi permiſerunt: & qui deinceps renovatis identidem editionibus inchoatum a prioribus munus perficere conati ſunt, in non paucis offenderunt ipſi, & aliquid rectius inveniendi occaſionem præbuere ſequentibus. Atque hi præclare omnino agere cenſendi ſunt, dum in Veterum monumentis id præſtant, ut veram ac genuinam cuique Auctori lectionem reſtituturi, librariorum errores fraudesve detegant; verba omiſſa vel disjecta ſuo loco reponant; repetita aut ſpuria, quæ interdum in ipſum recepta ſunt textum, explanationis ſaltem aut memoriæ cauſa ad marginem olim a ſtudioſis allita, ejiciant; ignoratione alicujus ritus, moris, caſus, fabulæ, vocisque rarioris obſcura loca illuſtrent; ſincerumque adeo & priſtinum in habitum compoſitum Scriptorem quemlibet orbi exhibeant. In hoc ſtudiorum genere eximiam noſtris temporibus navavit operam doctrinæ copia, ingenii acumine, indagandi felicitate præſtantiſſimus vir *Johanhannes Fredericus Gronovius.* Qui poſtquam pluribus Græcis æque ac

Latinis Scriptoribus, Mscorum Codicum ope & ingenii solertia utilissimis emendationibus lucem attulisset, verasque e variis lectionibus constituisset: SENECÆ etiam Tragœdiis eandem operam præstitit, plurimasque in iis corruptas lectiones ejecit, veris in eorum locum repositis; cumprimis membranaceo Codice Florentino adjutus: quem spectatissimæ manus ac fidei cum in *Magni Hetruriæ* Ducis bibliotheca agens deprehendisset, potissimum sequendum putavit, utpote antiquissimum, integerrimum, & γνήσιον τȣ πατρός παιδίον. Ex hoc igitur multa loca depravata emendavit, correcta ab aliis vel assensu ejus confirmavit vel dissensu dispunxit, integros versus loco suo motos restituit, dumque *Octaviam* isto codice abesse videret, eam Senecæ non esse, prorsus confirmatus est. Idem studium, conferendi istum codicem cum editis Senecæ tragœdiis, quum postea Nicolaus Heinsius Florentiæ degens suscepisset, varietatesque, quibus ab aliis membranaceum isthoc exemplar abiret, enotasset; ex ipsius excerptis sua supplevit Gronovius, & anno 1661 Senecam sibi redditum edidit, Serenissimoque Electori Palatino dicavit. Cujus editionis exemplaribus haud ita multo post distractis, novam eamque auctiorem moliebatur, & jam recensere Scriptorem hunc cœperat: sed vix absoluto Thyeste superveniens mors anno 1671 huic operi eum subtraxit, & in decem usque annos iteratam editionem distulit. Quam aggressus *Jacobus Gronovius* eruditionis paternæ hæres, & quæ parata erant, & quæ alia hic illic occurrebant adscripta, e quibus consilium parentis intelligeret, congessit, ac superiori anno in publicum emisit. *Variorum*, quæ adjectæ sunt Gronovianis, notas se auctore neutiquam accessisse, in Præfatiuncula indicat, ac correctione indigere monet: quas tamen ob leves quosdam nævos rejiciendas non existimamus, cum multa utilia ad gravissimum Scriptorem rectius intelligendum afferant. Etsi mirandum utique est, *Farnabium* in lectione Classicorum Auctorum, e quibus non paucos notis ipse suis illustravit, diligentissime versatum hallucinari adeo potuisse, ut in *Hercule Oetæo* v. 1193, 1194, verba hæc: *aut centum anguibus vallatus hydram tabe pavissem mea*; per paraphrasin sic redderet: *aut circumdatus fœcundæ capitibus hydræ mortem extimuissem*, *sanguine meo ab hydræ veneno in tabem verso*; persuasus nempe, *pavissem* hoc loco a *paveo* esse, quod a *pasco* deducendum vel tyro videt.

LES

LES DIVERSES ESPECES DE NOBLESSE, & les manieres d'en dresser les preuves: par le R. P. Menestrier de la Compagnie de Jesus.

id est:

De diversis Nobilitatis generibus, eamque probandi modis: auctore R. P. Claudio Francisco Menestrerio e S. JESU.

Parisiis, 1681. in 12.

AD scientiam, quam vocant Heraldicam, sive ut Galli loquuntur *du blason*, de qua Auctor antehac commentarios scripsit, necessariam idem existimat notitiam diversorum Nobilitatis generum ac titulorum: rationis item, qua ea probetur demonstreturve, cognitionem. Hanc tradere doctissimus Jesuita libello hoc, duodecim qui capitibus absolvitur, alloboravit. Capite I distinctionem hominum in liberos & servos inde usque a Noachi temporibus deducit: discrimen autem liberorum sive ingenuorum universali gentium mori tribuit; quo *factum*, ut alii aliis dignitate & prærogativa quadam præferrentur, sive quod *Sacerdotes* essent divino cultui vacantes, sive *milites* tuendæ patriæ intenti, sive *aulicis* ministeriis occupati. Cum autem nobilitas a *noscendo* nomen acceperit, non mirum esse, quod primis statim temporibus signa quædam usurpata fuerint, quibus Nobilitatis prærogativa innotesceret, eaque gaudentes a vulgo secernerentur. Eo pertinere ait, insignia clypeorum & galearum, quorum antiquissimus usus; quorum etiam jus & usum probare oportuit eos, qui aulas Principum sectari, inque solemnibus festivitatibus suas cuperent esse partes, Froissardo, Olivario de Marca, Monstreletio, & aliis veteribus Gallis Romanorum, quos vocant, sive fabularum heroicarum scriptoribus *Paladins* dicti, id est, Palatini. Cum vero non una esset nobilitatis species, disquiri cœptum, quali quisque gauderet: nec promiscue ad hastiludia & hujusmodi equestres ludos omnes esse admissos, qui nobiles censeri vellent. Nam quum inter plebejos essent, qui magistratus gererent, aut amplas facultates, possessiones, & fundos adepti mercatura & opificiis

ciis abstinerent, indeque a Principibus aliquam nobilitatis speciem, quæ *patritia* & *urbana* nominaretur, impetrassent: ab aliis potissimum distingui voluisse militaris nobilitatis viros, vocarique *Gentiles* cœpisse, sive *Gentils hommes, Gentil huomini*, qui gentis sive familiæ splendorem demonstrarent, qui arces sive castella possiderent, aut possessas a majoribus probare possent. Confirmat hoc antiquis & recentibus exemplis, & vocabula atque glossemata, quibus militaris hæc nobilitas indicatur, explicat: qualia sunt *hidalgos, escuyer, damoiseau, valet, chevalier, scutarius, armiger, domicellus, junker, freyherr &c.*

Capite II originem probandæ Nobilitatis in adipiscendis Ecclesiasticis dignitatibus exponit. Nam etsi ad Christianam religionem omnia hominum genera, etiam servi, reciperentur; hos tamen, ut & libertos, ab Ordinibus sacris Canones arcuisse, ex Decretis Conciliorum Nationalium Gallicanorum & Germanicorum probat. Factum inde putat, quod nobiliores tantum & opulentiores ad Ecclesiasticas dignitates adspirare potuerint, & in monasteria recepti sint, cum plebeji paupertate a studiis repellerentur. Expresse postea cautum, præsertim in Germania, ut excluderentur plebeji: quod indecorum existimarent, si in Conventibus publicis Prælati Ecclesiastici admitterentur, qui ignobili loco essent nati; accedente præsertim potestate & jurisdictione in ditiones & urbes, quas Ecclesiasticus ordo Nobilium instar sibi acquisiverat. Displicuisse quidem istum rigorem Pontificibus, quod probat ex eorum Decretis in gratiam plebejorum factis; Imperatores autem Germanicos Nobilitati esse patrocinatos, imo id studuisse, ut filii, fratres, agnatique sui in Capitula reciperentur, unde mos manaverit, ut etiamnum Archiepiscopi Electores *Nepotum* titulo a Cæsare insigniantur. Ortis dein inter Imperatores, Fridericum Barbarossam cumprimis ejusque successores, & Pontifices dissidiis, ac distractis in Gibellinam & Guelpham factionem animis, Nobilitatem fere ab Imperatorum partibus stetisse, plebem Pontificibus adhæsisse: quorum ope ad Ecclesiasticas dignitates plebeji adscenderint, & in monasteria recepti fuerint.

Capite III diversam probandæ Nobilitatis civilis rationem Gallorum a Germanis ex Tacito & Cæsare affert. Germanos enim Principes sive proceres, qui omnes ex equestri nobilitate erant, assumsisse sibi comites ex plebe, ut isti jura redderent & patritiorum partes agerent; at in

at in Gallia plebem servorum loco habitam fuisse. Ibidem tamen postea invaluisse, ut *Seniores* (ita enim olim Nobiles, qui hodie *Seigneurs*, vocabantur) principum loco essent, minores, id est, plebeji, in consilium adhiberentur. Idque etiamnum in Gallia Aquitanica, *Languedoc* dicta, ubi conventus Ordinum sub Rege habentur, servari quodammodo asserit: in aliis quoque Galliæ provinciis munia quædam soli Nobilitati conferri, exclusis plebejis, multis exemplis demonstrat. In Germaniæ quibusdam provinciis, Franconia, Suevia, Bavaria, ab Equestribus Societatibus, præsertim hastiludiis, Nobilitatem patritiam exclusam esse: idemque pluribus in locis circa receptiones ad præbendas Capitulorum Cathedralium servari docet. In Italia eo ventum esse, ut Nobiles a dignitatibus urbanis plane excludantur, aut ad eas cum plebe dividendas adigantur, per exempla deducit; & quomodo sodalitia plebeja in civitatibus constituta, certisque insignibus & vexillis distincta fuerint, enarrat, in quæ equestres familiæ referri maluerint, quam muneribus publicis carere. In Germaniæ quibusdam locis, veluti Augustæ & Noribergæ, patritias familias solas in Senatum admitti, observat.

Capite IV de receptis modis, quibus Nobilitas probetur, agit: sive per testimonium Principis, ut aliquando a Pontificibus & Regibus factum; sive per Nobiles alios duos, quatuorve, interdum etiam septem, qui juramento interposito, vel editis scriptis, generis claritatem attestentur. Tutissimam vero probationem per Instrumenta fieri; de quibus multa annotat, ut & de monumentis aliis sepulchrorum, antiquis item picturis in parietibus fenestrisque templorum, in quibus Equites cum scutis, galeis, sagis, alioque vestitu & ornatu, quo soli Nobiles utebantur, intueri, indeque generis claritatem cognoscere liceat. In Italia argumentum nobilitatis etiam peti a turribus, quas ædibus in urbe suis jungere non nisi Nobilibus fas fuit. In Hispania & Lusitania libros publicos extare, quibus nomina & natales nobilium inscribantur, & qui plenam faciant fidem. In Germania plurimum tribui libris hastiludiorum, sive torneamentorum: certiorem autem probationem haberi ex receptione ad Capitula. Refert etiam exempla testimonii quod Heraldi, sive reges, uti vocabantur, insignium (*Roys des armes*) dederint; inter quæ notabile est quod datum fuit Petro Baroni de Brandenburg Belgæ, quem Carolus V Imp. in ipso prælio ad Albim cum

Johanne Friderico Electore Saxoniæ commisso, anno 1547 Equitem creavit.

Capite V, (cujus numerus & rubrica errore typographi p. 169 deest) formulas quasdam attestationum de Nobilitate in Gallia, annis 1534, 1537, & 1556 conscriptas profert.

Capite VI (pro quo *quintum* falso numeratur pag. 187, ut ex adjecto indice sub finem libri patet) de diversis Nobilitatis speciebus agit, quarum tres constituit: *magnam*, *militarem*, *civilem*. Ad *magnam* Principes refert, & illustribus ex familiis ortos, ac Principibus sanguine junctos, aut magnis dignitatibus & titulis claros. Excelsæ nobilitatis hujus argumentum esse ait, si ea gaudentes recipiantur in Ordines Equitum regios & illustres, v. g. Sancti Spiritus, Aurei velleris, Periscelidis, Elephanti, Annunciationis. Equitum auratorum decus illustre olim, hodie obsoletum, eviluisse notat. Quod autem de Ordinibus Equitum Melitensium & Teutonicorum addit, quasi eorum dignitas olim majori Nobilitati competierit, ita verum est, ut qui ad summam horum Ordinum præfecturam sive magisterium perveniunt, principali dignitate gaudere censeantur; ad ipsos autem Ordines adipiscendos Equestre genus sufficiat. Alteram Nobilitatis speciem, quam *militarem* vocat, iis constare ait, qui equestria stipendia Principibus a longo usque tempore præstare tenentur, & in Gallia Gentils-hommes vocantur. Horum signa esse scuta, vexilla, galeas, trabeas, & alia: hos in conventibus provinciarum statim post Ecclesiarum prælatos, ante Civitates collocari, inque hastiludiis, Capitulis & officiis quibusdam solos admitti. Contineri has prærogativas in Diplomatibus, præsertim Cæsarum, quæ interdum hac clausula concedantur nonnullis, ut eodem jure censeantur, quo illi, qui quatuor generationum Nobilitatem demonstrare possunt. Exemplum hujusmodi diplomatis affert a Carolo Quinto Imperatore Georgio Sabino eruditione clarissimo viro & insigni Poëtæ, anno 1541 concessi. Dubitat tamen, an in Capitula hunc in modum nobilitati recipiantur. Probationes vero Nobilitatis post annum demum a millesimo trecentesimum exigi cœpisse existimat, quod ante istud tempus nulla, nisi sola militaris, extiterit, qua gaudentes ex feudalibus bonis, a solis militibus possessis, noti satis fuerint; sed postquam civicus ordo ad Nobilitatem adspirare cœpit, distinctiones & vetustæ Nobilitatis probationes exortas esse, præsertim in admissionibus ad Capitula.

Hoc

Hoc loco digreditur ad Episcopos Galliæ, qui nobiles creant, vasallosque nobiles habent, & eorum ministerio utuntur ad pompam, quoties Episcopatum solenniter adeunt, quod pluribus exemplis confirmat. Addit multa de dignitatibus & officiis, quæ non personis tantum, sed & familiæ nobilitatem tribuant, atque ita de tertio Nobilitatis genere, nempe *civili*, & quomodo in Gallia id obtineatur, docet, ejusque exempla affert. Fatetur tamen, hanc olim ignotam fuisse, neque ab his, qui civilia munera gererent affectatam, aut ad liberos propagatam: videri potius ab initio eatenus tantum inventam esse aut valuisse, ut a tributis immunes faceret.

Capite VII persequitur tractationem de Nobilibus militaris & antiqui generis: formalem eorum rationem in feudis militaribus positam asserens, quæ majores eorum possederint, omni alio plebejæ vitæ genere abstinentes. Exponit hoc loco locum Ciceronis de *Gentilibus* in Topicis ad Trepat. & notat ex Spelmanno, nomina & insignia nobilium familiarum circa annum Christi millesimum cœpisse, & esse adhuc aliquos in Hibernia, qui insignibus careant: in Suecia etiam pluribus familiis nobilibus deesse cognomina, & patris nomen filio referri, Græcorum more. In Hispania cognomina ex auctoribus gentis orta fuisse refert, vel ab arcibus, quas possederint, vel a munitis locis, in quorum expugnatione strenuam operam præstiterint, vel ab urbibus oppidisve, in quibus diu habitaverint: præcipuos autem esse, quos *Hidalgos de Solaro conocido*, Nobiles terræ cognitæ sive celebris vocant. Interserit quædam de Venetis, Florentinis, & Neapolitanis familiis. De Germanis quæ affert non usque adeo certa sunt: neque verum, omnia Franconicæ Nobilitatis insignia in arce Herbipolensi, quod narrat, depicta esse: cum tantum earum familiarum ibi conspiciantur, quæ feuda ab Episcopatu illo, sive Ducatu Franconiæ tenent: & plurimæ aliæ, non minus nobiles, ab aliis Franconiæ Principibus & Dynastis, qui ad Franconiæ Ducatum non pertinent, feuda habeant; diversa enim est Franconia, sive circulus Franconiæ, a Ducatu Franconiæ.

Capite VIII de Nobilitate Gallica, tam veteri quam nova, speciatim agit, & per singulas provincias familiarum quarundam refert nomina, quæ excerpere nil attinet. Cumprimis autem memorabile est, quod hic narrat: Reges Galliæ necessitate temporum adductos, civibus *Parisiensibus* indulsisse, ut feuda Franca, id est nobilia seu equestria,

ſtria, ſibi compararent, & pro lubitu Equitum titulum aſſumerent, præcipuas tamen Pariſinas familias non facile ex hoc indulto beneficio, verum ex dignitatibus & muneribus potius collegiorum, ſeu tribunalium & curiarum, quæ in urbe ſunt, nobilitatem ſuam allegare. Ex Italia complures illuſtres familias propter crebra commercia, & occaſione nuptiarum Catharinæ Medlceæ cum Henrico Secundo, in Galliam perveniſſe, v. g. Gondios, Fliſcos, Grimaldos, Spifamas, Trivultios &c. In *Neuſtria* ſive *Normandia* propter Gallorum & Anglorum bella familias veteres plurimas interiiſſe: unde factum ſit, ut Ludovicus XI plusquam octingentos prædiorum equeſtrium poſſeſſores nobilitarit. In *Campania* bellorum injuria vetuſtam Nobilitatem maxima ex parte jam Caroli Calvi temporibus extinctam fuiſſe: ſtatutis igitur quorundam locorum, veluti Tricaſſium civitate, Catalauni, & alibi, cautum, ut Nobiles haberentur, qui nobili materno ſaltem genere eſſent nati. Poſtea cum Provincia hæc ob nundinas celebres diteſceret, in eam non paucas familias ex aliis provinciis conceſſiſſe, aut in majoribus civitatibus emerſiſſe. *Picardiæ* Nobilitatem incrementa ſumſiſſe ex Gallorum cum Anglis & Belgis bellis, interiiſſe tamen præcipuas familias, quarum tituli ad alios fuerint delati. At illas regiones quæ Principes ſuos ſupremos olim habuerunt, v. g. *Bituricenſem*, *Delphinatum*, *Burgundiam utramque*, magnum Nobilitatis numerum & ſplendorem conſervaſſe. Quasdam etiam familias in urbibus extitiſſe, quarum Senatoribus dignitas Nobilitatis a Regibus per diplomata fuit conceſſa: quod inprimis Lugduni factum, quam in urbem ob mercaturæ præſertim commoda ſplendidæ ex Italia familiæ confluxerint. In *Delphinatu* olim quatuor Barones in Conventu Ordinum reliquæ Nobilitati prælatos, in ſedilibus conſediſſe, cæteris omnibus circumſtantibus. Multas vero familias nobilitatem ſuam functionibus debere, quas majores in tribunali ſive parlamento regio Viennenſi geſſerunt: quod tamen Conſtitutionibus regiis poſtea reſtrictum eſt. In *Arvernis* & *Lemovicibus* viciniſque regionibus, ubi nulla parlamenta aut alia ejusmodi collegia habentur, veterem Nobilitatem magis quam in aliis locis conſervatam fuiſſe, neque alibi clarioribus tutulis eam probari poſſe: eſſe etiam in regionibus illis montanis, a bellorum tumultibus remotis, egregia prædia; quasdam vero familias originem ſuam Pontificibus debere, qui Avenione ſederint, vel Cardinalibus ex infima plebe interdum electis. In provin-

provincia *Narbonensi*, & urbibus Massiliæ, Arelati, & Avenionis, ingentem esse veteris & novæ Nobilitatis mixturam, multasque familias ex Italia & Hispania Comitum tempore eo confluxisse. In *Septimania*, vulgo *Languedoc*, tempore hæresis & belli Albigensium, veteres familias fere intercidisse, surrogatis novis, ex urbium incolis, præcipue ex Tolosanis. In *Aquitania*, ab Anglis olim possessa, urbem Burdigalensem privilegiis immunitatum tam large fuisse ornatam, ut plurimi ex illustribus & nobilibus familiis in civium numerum recipi affectaverint, idque etiam in aliis civitatibus obtinuisse, ut lege fuerit corrigendum. Ad hanc provinciam referuntur tractus *Agennensis*, *Condomensis*, *Armeniacus*, & alii, illustribus olim & nunc repleti familiis. Idem refert de regione *Foxensi*, *Bearnensi*, & partibus *Navarræ* ac *Biscajæ*: in qua postrema omnes incolas nobilitatem prætendere ait, quod soli Christianam religionem servassent, cum totam Hispaniam Mauri Mahometica superstitione inficerent. Recenset deinde præcipuas *Pictaviensium* & *Andegavensium* atque *Turonensium* familias. De *Britannia* autem *Aremorica* notat, splendorem familiarum situ locorum a commerciis cum aliis remoto, tum maxime jure primogenituræ fuisse conservatum, vetita divisione inter fratres, & assignata junioribus, quos *juveugneurs* vocant, modica ad alimentum portione, quam *paragium* nominant, quamque junior a seniore in feudum accipit: neque tamen ad juramentum homagii tenetur, neque jurisdictioni primogeniti subjectus est, & ab hoc ita honoratur, ut dextræ ejus, si in domum senioris venerit, assideat. In *Burgundia* denique utraque illustrem & frequentem Nobilitatem reperiri scribit.

Capite IX agit de Nobilitate *Allobrogum* sive *Sabaudiæ*, ejusque districtuum, e quibus multas numerat familias. Conservatam harum nobilitatem per collegia supremæ Curiæ & Cameræ Camberitanæ, in quam soli nobiles admittuntur, asserit. *Genevæ* etiam, cum Sabaudiæ subesset, Præfectos sive Capitaneos Principum nomine constitutos fuisse ex sola Nobilitate docet, eorumque nomina ab anno 1223 ad annum usque 1519 recenset: in Capitulum item Genevense, quod nunc Anecii sedem habet, solos Nobiles recipi affirmat. Nobilitatis majoris indicium esse Ordinem Annunciationis, cujus catalogum Capreus ediderit. *Bressensem* & *Bugiensem* tractus, a Sabaudia avulsos & Burgundiæ annexos, multa ait Nobilitate insideri, cujus familias,

milias, monasteria item solis Nobilibus patentia recenset. Addit quædam de tractu *Valdensi*, sive *pays de Vaud*, cujus partem Bernates Helvetii occuparunt; sed plura de Nobilitate *Pedemontana* affert, quæ Augustæ Taurinorum, Vercellis, Comi, Astæ, Clerii, Nicææ, Salutiæ, Susæ, Fossani, Clerassi, aliisque in oppidis frequens habitat, quam Franciscus Augustinus della Chieza Salutiensis Episcopus libro integro descripserit. Claudit hoc caput recitatione publicationis sententiæ contra Bernates, per fecialem Imperatoris anno 1544 dictæ, qua isti jubentur restituere Duci Sabaudiæ regionem Valdensem & alia; quod se facturos receperunt, modo Dux solveret quæ ipsis debet stipendia.

Capite X recenset Nobilitatem *Lotharingicam*, quam in sex Marchionatus & duodecim Comitatus divisam esse scribit. Inter antiquas Nobilitatis hujus prærogativas refert jurisdictionem in subditos exercendam cum Paribus, quos ex subvasallis suis constituebant: hoc jus paragii sive *de parage* vocatum, olim in civitatibus etiam locum habuisse, adductis exemplis Metensium, Montensium in Hannonia, & Valencenarum ostendit. Sed Carolum Lotharingiæ Ducem, non ita pridem defunctum, Nobilibus jurisdictionem ademisse commemorat, postquam pace Pyrenæa in ditionem rediisset. Belgium fœcundum nobilibus fuisse a multis seculis, occasione bellorum inter Gallos & Belgii sive Burgundiæ Principes gestorum: Leodiensem vero regionem, olim Nobilibus abundantem, paucos hodie habere Nobiles ait, mercatoribus aliisque Leodii incolis opulentioribus plurima prædia possidentibus. Officium Advocatorum, qui jus tuendi Ecclesias & monasteria, indeque certos reditus vel feuda ab Ecclesiis recognoscenda habuerint, valde honoratum fuisse sub nomine *Voweit*, quod Germanico Voigt vel Voyt respondet, ex *Advocati* voce corrupto, ex Jac. Hemricurtio tradit. Recenset etiam *Luxemburgensem* & *Limburgensem* Nobilitatem ad exiguum numerum redactam, dein *Brabantinam* & *Namurcensem* enarrat, in quibus & ipsis antiquæ familiæ pleræque extinctæ sint; addit *Geldricæ* Nobilitatis catalogum, & laudat Jo. Bapt. Christinæi tractatum *de Jurisprudentia heroica*, sive de Jure Belgarum circa Nobilitatem & insignia. Quamvis vero olim in illis provinciis soli Equites ad Præfecturas & judiciaria Collegia admissi fuerint, creatos tamen postmodum esse a Principibus ad aliarum regionum exemplum Nobiles ex civico ordine: &

nunc

nunc qui munera in supremis Curiis exercent, per ea ipsa nobilitari tradit, sed cum aliqua restrictione, qualis anno 1631 facta est.

Capite XI ad modum probandæ Nobilitatis demum accedit, qui in Gallia, Burgundia, & Lotharingia observatur, dilata de *exteris* tractatione.

Caput XII *De Inquisitione Nobilium* inscribitur: in quo refertur, quomodo cum seculo undecimo & duodecimo illustres & equestres viri ad bella ultramarina sive sacra a Pontificibus inducti, prædia & feuda sua ob sumtus incolis urbium & oppidorum vendidissent, Reges, quia ab emtoribus & possessoribus ejusmodi militaria servitia recipere non possent, illorum loco prædiis onera imposuerint. Ortum inde discrimen feudorum francorum, sive immunium, & non immunium: probandamque fuisse Nobilitatem antiquam ab iis, qui immunes esse ab impositionibus illis cuperent, quarum aliquot exempla ab anno 1316 usque 1617 adducit.

Hæc non piguit ex libro hoc exiguæ quidem molis, sed multa complectente, paulo fusius excerpere, quia non ubique obvia sunt, & antiquitates illarum gentium referunt, quæ cum Majoribus nostris vel communes origines, vel consuetudines non multum discrepantes habuerunt: ut adeo Auctoris hujus studium lucem haud exiguam Historiæ Germanicæ afferre possit.

BREVIARIUM THEOLOGICUM, seu Controversiarum præcipuarum, inter Theologos Augustanam Confessionem invariatam professos, post publicatum Librum CONCORDIÆ *non sine periculo aliquando schismatis agitatarum,* THEOLOGICA CONSIDERATIO, *edita auctore AUGUSTO VARENIO D. Sereniss. Ducum Megapolit. Consistorii Provincialis Directore, Facult. Theolog. & totius Academiæ Seniore.*

Rostochii, 1682, in 4.

INter Ecclesiæ Doctores jam inde ab incunabulis ejus non leves sæpe dissensiones ac schismata viguisse, dum quisque quam sententiam animo complexus est, mordicus tenere, alienas morosius & arrogantius refellere studuit, nemo in Historia Ecclesiastica tam hospes est qui ignoret. Ac utinam hic fidem solum facerent jactæ seu hæresium seu schismatum faces in causis Victoris Romani, Adamantii, Novati, Donati, Arii, Nestorii, Eutychis, Theodori Mopsuesteni, Fullonis Antiocheni, Severi, Themistii, Hormisdæ, Sergii & Cyri, Felicis & Elipandi, aut Byzantinorum cum Romanis, vel Latinorum inter sese, aut quicquid uspiam discordiarum Ecclesiam Christianam priscis temporibus afflixit! nec istud incendium bellorum plusquam civilium, quibus damnis mutuis certatur, nostras etiam, quæ post reformationem *B. Lutheri*, ab Augustana Confessione nomen adeptæ sunt, corripuisset *Ecclesias*. Quantum enim damni a *Filiis intra sinum suum* educatis istæ perpessæ fuerint superiori seculo, & ipsa Synergistarum, Majoristarum, Interimistarum, Flacianorum, Osiandri, Huberi, Islebii aliorumque in fanaticas partes abeuntium ostendunt nomina, & plenius explicat ipsa *Concordiæ* inter Theologos illorum temporum sancitæ *Formula:* etsi & hæc in signum contradictionis posita, non minus Filios matris unius inter se digladiantes, & mutuis sese vulneribus ingenti Ecclesiæ malo conficientes, experta fuerit. Verum de his superiorum temporum dissensionibus Auctori nostro, celebratissimi nominis & maximorum meritorum Theologo, in præsenti Libro aut nihil aut parum est negotii, qui saltem instituit *domesticas illas Controversias, quæ nostro inprimis seculo, post undique receptum Concordiæ Librum, ejusdem Confessionis Augustanæ Doctores, & sollicitos habuerunt, & nunc placide salvaque Ecclesiæ pace, nunc majore contentione nec sine periculo schismatis agitatæ, varie aliquando diviserunt,* succincta collatione & examine repræsentare & πάντα ὑπομίαν σύνοψιν σωματοποιεῖν. Intempestivum equidem videri poterat hoc argumentum, postquam Augustanæ Confessionis Doctoribus sectas & discordiam domesticam sæpius objiciunt οἱ ἐξ ἐναντίας. Sed cum & hi satis bellorum domi habeant, Pontifices puta in cathedra toties sibi contradicentes; contradictorios Conciliorum Canones; Doctores scriptoresve publicos, imo integros Ordines in præcipuis fidei articulis & in ipsa summa rei Christianæ dissidentes, & se mutuis armis, assidente ac imparem se liti dirimendæ ostendente summo Pontifice, conficientes:

tes:

tes: ideo nec ipsi de aliorum discordia magnopere triumphare poterunt, nec Auctor, pro eruditione sua, & quam longo rerum usu comparavit, prudentia Theologica summa, sibi negligendum esse duxit, si quid Iliacos intra muros peccetur. Quanto enim pretiosior & auro contra carior, quanto res delicatior vera Religio & fides catholica est, adeo ut nisi tota suscipiatur, tota repellatur, nec ullas veri cum falso mixturas aut conciliationes admittat; quanto etiam nunc ingeniosioribus insidiis a Cacodæmone impetitur, & vel cautis sæpe nec opinantibus, multo magis dormitantibus eripitur, interque tot discrimina difficilius tenetur; tanto magis pro illa sincera illibataque retinenda cordatis Theologis vigilandum, & velut pro aris ac focis dimicandum erat. Id animo secum reputans θεωλογικώτατος *Varenius*, non saltem in asserendo vero Theologico, sed & falso destruendo hic parem adhibuit solertiam, omnia secundum Scripturæ regulam dirimens, ac ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων in Libris Symbolicis Ecclesiæ suæ comprehensam. Deinde cum regna veritatis cœlestis etiam contra maledicentissimos adversarios, citra invectivas asperiores personales, inculpato moderamine, ac prudenti caritatis temperamento defendi, imo latius extendi possent; idem Noster omnibus quoque conviciis & mordentibus verbis, velut manifestis operibus carnis, semper & ubique abstinuit, inque revincenda refellendaque heterodoxia magis de illorum, contra quos tecto ut plurimum nomine calamum strinxit, emendatione quam subversione solicitus fuit, ut errorum quidem regna & Diaboli μεθοδεία in iis destruantur, homines tamen non perdantur, sed, si velint, sanentur, vel emendentur; totusque adeo elenchus citra rixas zeli veritatis pallio velatas ad medicinam valeat, non ad hominis in doctrina exorbitantis interitum, vel extremum supplicium, etsi quotquot illam pertinaciter respuunt, huic tandem reserventur. Ipsam vero dogmatum σωματοποίησιν sic adornavit subactissimi judicii Auctor, ut ea omnia, de quibus nunc leniore sententiarum collatione, nunc majore contentione ac declinationis periculo ad castra adversa, inter A. C. Theologos hucusque certatum fuit, juxta seriem Articulorum, in summam vel breviarium quoddam redigeret; (cum antea singula minutius, per integros XV annos, Collationibus Academicis XXIV in Academia Rostochiensi publice habitis ac seorsim excusis excussisset) factis hinc inde necessariis digressionibus, queis modo sententiam adversariorum & ejus a vera do-

ctrina dissonantiam, modo certamina superiori seculo jam sepulta & ex Ecclesiis sublata, sed nostra ætate renovata aut interpolata, plenius exhiberet. Qualis est inprimis in fine subjuncta *peculiaris Dissertatio* de satisfactionis & meriti Jesu Christi universali sufficientia, efficacia, & circa hanc Reformatorum modernorum sententia moderatiore. Articulorum vero & materiarum singularum hic pertractatarum Catalogus sub calcem libri attexitur locupletissimus, quem jam exscribere supersedemus, Auctori celeberrimo immortales gratias pro utilissimo hoc labore a Theologorum filiis & omni posteritate decernentes.

Historisches Spruch-Buch/ darinnen 100 vornehme Sprüche aus GOTTes Wort Alten und Neuen Testaments mit Historien illustriret, durch Johann Meelführern/ anietzo mit den andern 100 vermehret durch *M. Jacob Thomasen* der *Philos. Fac.* zu Leipzig *Seniorem* und *Prof. Publ.*

seu

Sylloge C dictorum illustrium V. & N. T. *historiis* memorabilibus illustratorum a Jo. Meelfuhrero; cui totidem adjecit ac simili modo illustravit M. Jac. Thomasius Fac. Philosoph. Lips. Senior & Prof. Publ.

Lipsiæ, 1682. in 4.

SI fidelissimum præcipiendi genus est, exemplis doceri, iisque ad rationem vitæ erudiri; operam illos ludere dici nequit, qui aut in morum doctrina, aut in sacrarum etiam literarum expositione, sententias illustres exemplis statim ex historia petitis illustrant. Nam ut aures hominum novitate rerumque singularium narratione maxime lætantur; ita sententiæ & vitæ regulæ ejusmodi exemplis confirmatæ, memoriæ imprimuntur facilius & retinentur fidelius. Hanc ob causam vir olim pie doctus *Johannes Meelfuhrerus, Pastor & Ecclesiastes Onolbacensis*, νῦν ἐν ἁγίοις, centum dicta illustriora ex S. codice V. & N. T. collegit; quæ, ut lectori Christiano redderentur magis familiaria, adspersis variis historiis, exemplis & monitis condire quasi voluit. Piam laudati viri industriam

dustriam ac institutum utile imitari placuit nostro *Jacobo Thomasio*, viro ob merita in rem literariam celeberrimo. Nam etsi is per muneris sui rationem aliis studiis occupabatur; tamen ubi per horas subsecivas, ad jucundissimum laboris levamentum, historias confugeret, aut pietati excitandæ S. Literas evolveret, sententias inde insignes cum exemplis annotavit, quæ ab ipso vel ulterius declarantur, vel illustrantur, vel collatis diversorum testimoniis comprobantur; utili sane ad pietatis studium promovendum labore. Cui libro Auctor doctissimus tres indices subjici curavit, quorum unus, ut pericopis Evangelicis ac Epistolicis in Ecclesia receptis illa dicta vel exempla applicari queant, ostendit: id quod in gratiam eorum, qui populum Dei publice informant, monendum erat.

DE MOTU ANIMALIUM J. A. BORELLI Opus posthumum. Pars II.

Romæ, 1681. in 4.

CUm Actis superioris mensis totum partis secundæ Operis hujus tenorem, propter rerum summam ubertatem, inserere non licuerit, quæ illius restant præsentibus exhibere voluimus. Cap. 7. ad Motus mixtos progreditur Auctor, & inter hos primo de Respiratione agit, cujus causas motivas non pulmones statuit, sed diaphragma & musculos intercostales thoracem extendentes, hinc aeri, pondere & elasticitate connata tracheam irruenti, spatium parantes, ita tamen ut costæ, remittente hoc motu musculorum tractorio, resiliant & thoracem constringant, sicque, clausa simul epiglottide, aërem ad penitiores pulmonum cavernulas urgeant. Dum autem rima laryngis aperiatur, & adhuc ab actione sua quiescant musculi dicti, relaxeturque simul diaphragma, aerem sponte & absque illius musculi conatu recedere, vi sua elastica locum, in quo expandi possit, sibi quærentem, i. e. liberam contingere expirationem: in vehementioribus vero expirationibus, v. g. tussi, vociferatione &c. musculos abdominis constrictos hujus viscera cum diaphragmate sursum impellere, hinc aërem excludere, simul costis ab expansione sua libere resilientibus; nunquam tamen omnem aërem e pulmonibus ejici, sed ejus non exiguam molem in horum tubulis remanere.

Sicut autem natura ex unica actione & eodem instrumento *plura* commoda non raro acquirat, ita Respirationem quoque plures animali utilitates præstare docet, inter quas sine dubio potissima & præsentanea magis sit vitæ conservatio & perennatio: quæ neutiquam a refrigerio & ventilatione flammæ atque caloris cordis, nec a sequestratione fuliginum ab igne hujus genitarum, nec ab exactiore sanguinis & lymphæ seu chyli miscela, nec totaliter & absolute a circulationis sanguinis e ventriculo cordis dextro ad sinistrum promotione *dependeat*; sed, quia aer respiratione attractus potissima vitæ animalium causa *sit*, hic sanguini commixtus ratione motus sui tremuli seu oscillatorii, instar penduli, motum vitalem ipsi imprimat & conservet. Hinc problematis illius *Harveani*, hactenus vix a quopiam soluti, cur sc. fœtus secundinis exutus, si semel aërem hauserit, postea ne momentum quidem *sine illius* usu vivere *possit? aliorumque phænomenorum circa* respirationem observa*bilium*, v. g. cur expiratio cohibita non minus ac inspiratio impedita molestiam suffocationis inducat & perimat? quomodo in aëre rariore & in vase vacuo animalia mox intereant? quare aqua pulmonibus immissa, item aër crassior ac nimis condensatus, suffocent? &c. rationes reddit: explicatæ vero respirationis utilitati aliam adhuc addit, ad animalis perfectam conservationem pariter facientem, sc. quod sanguis venosus & nutritioni, spirituum animalium elaborationi, aliisque actionibus ineptus una cum chylo novas aëris particulas intra pulmones recipiat, ejusque grumi intra angustias pulmonum denuo solvantur, & arteriosi sanguinis fluorem recuperent.

Postquam ergo de compositione sanguinis in pulmone *facta* egit, de ejus purificatione seu a sero secretione, quæ in *renibus* celebratur, sollicitus est, quam non per fermentationem, *sed* necessitate quadam mechanica, i. e. per vasorum *renalium* angustiam & configurationem fieri, ostendit; hacque occasione *Willisii*, serum a sanguine per præcipitationem, interveniente coagulo quodam separari, *asserentis*, *item* *Malpighii*, qui præter renum structuram fermentationem sanguinis perpetuam ad urinæ secretionem concurrere docet, sententias stringit.

Quo facto ad epatis, *officinæ animalis* satis famosæ, conformationem & usum se convertit, glandularum structuram & mechanicum operandi modum his præmittens: atque bilem pariter in jecore absque ullius

ullius fermenti concursu, ac solo artificio mechanico separari autumat, & quidem non a tota massa sanguinea, sed ab hac saltem ejus portione, quæ per lienem, intestina, mesenterium aliaque abdominis viscera circulata a vena portæ adducitur, utpote quæ biliosum succum partim ab alimentis novis suppeditatum, partim per ductus cholodochos ad duodenum depositum, resorbeat, & epatis acinis glandulosis reaffundat: adeoque circulationem quandam bilis per abdomen, æque ac circulationem sanguinis massæ per totam corporis peripheriam, concipit.

Porro Spirituum animalium naturam atque influxum explicaturus, illis consistentiam liquidam & spiritui vini analogam attribuit, eosque ad nutritionem duplici modo conferre, ait: vel quatenus ad viscera & glandulas abdominis, in quibus immensi ac frequentes nervorum plexus conspiciuntur, ttansmissi chylum perficiant, hujusque aliquam portionem constituant; vel quatenus in ipsis partibus nutriendis suum officium, modo inferius explicando, præstent.

Motum autem spirituum horum per eosdem canales seu funiculos nerveos, duplicem statuit, unum a cerebro ad partes, pro motu & nutritione; alterum a partibus ad cerebrum, in sensatione, interveniente quo succi etiam cardiaci & venenata miasmata illi communicentur.

Succum nihilominus nerveum nutritium diversum pronunciat ab hoc, qui locomotivam ac sensitivam functionem exercet, huncque per ipsarum fibrarum nervearum tractus seu canales, illum per interstitia harum, nervum instar funiculi constituentium, ferri putat: ne sibi confusi unus alterius texturam alteraret seque mutuo impedirent. Contingere autem succi nervorum nutritii effusionem somni potissimum tempore, imo hujus causam existere: quatenus illa sine ebullitione seu effervescentia quadam in cerebro fieri haut possit, quam obstructio orificiorum filamentorum nerveorum, hinc animalium functionum cessatio, seu somnus, necessario excipiat, manente nihilominus cordis & thoracis motu respiratorio integro, utpote, si non omnimode, certe maximam partem a nervo intercostali & vago dependente, quorum radices partim ab illo cerebri loco, in quo dicta ebullitio contingat, remotiores, partim aliis nervis strictiores & peculiariter configuratæ sint, ut ab illa ebullitione affici nequeant.

Progreditur hinc Noster ad Spiritus alterius generis, seu ad succum

cum illum spirituosum seminalem, in testiculis elaboratum, postquam horum molem totam ex innumeris canaliculis constare, sibi ab *Auberio*, Anatomico Pisano, 1657 demonstratum, hosque ductulos seminales substantia quadam spongiosa refertos esse docuit. In illis siquidem, fermentitiis insimul fluoribus turgentibus, sanguinis portionem albugineam, glutinosam & selectam in vivacissimum & actuosissimum succum genitalem elaborari, ad epididymidas, vesiculas spermaticas & uretram deponendum: quatenus in illis testiculorum vasculis non saltem a nervis aliquid recipiat, sed a fermento illorum intrinseco exaltetur, ejusque partes spirituosæ in libertatem majorem vindicentur, ut per vivificam & summe activam energiam uteri muliebris poros celerrime penetrare & automa embryonis in ovulo latitans animare atque evolvere queat, in coitu a spiritibus cerebri animalibus magis actuatus, cum impetu singulari tunc temporis organa genitalia irruentibus. Insimul tamen & secundario succum hunc genitalem singulare balsamum & elyxir individuale, animam & corpus generantis actuans, cum aliis Scriptoribus pronunciat, per nervos membrorum genitalium maximam partem resorbendum & ad totum corpus diffundendum. Tandem vero circulariter quodammodo spiritus, ad instar sanguinis, in animali moveri, concludit.

Et quo animalium genesis commodius percipi posset, hujus explicationi quædam de generatione & vegetatione plantarum præmittit, ubi inter alia semini earum exiguam ejusdem speciei plantulam, perfectissime elaboratam, subesse, cum aliis recentioribus adstruit. Semina vero terræ commissa succum suum nutritium ab aquea humiditate petere, quam impulsam præprimis ab aëris ambientis pondere, non per potentiam succi cujusdam fermentitii, sed per structuram vasorum suorum mechanicam, transforment sibique exin appropriatum nutrimentum parent: ipsas vero plantas productas respirationem imperfectiorem, a qua earum vita dependeat & conservetur, exercere. Hinc animalis generationis negotium ipsum explicat Borellus, & semen virile haud vi quadam incorporea, aut per afflatum quendam, sed contactu corporali & per admixtionem suarum particularum, ovum muliebre fœcundare ait, & quidem non organa fœtus, ipsi actu & perfecte inexistentia, saltem exagitando & actuando, sed eadem simul efformando ac perficiendo.

Quo-

Quoniam autem eadem naturæ lege, qua aliquod animal gignitur, crescit & nutritur, idem dissipetur ac destruatur, modusque nutritivus in eodem sine destructivo concipi nequeat, sed se mutuo foveant ac juvent; prius de partium deperditione, hinc earum reparatione, disserit. Adeoque doctrinam illam præclaram Sanctorii de insensibili transpiratione innuens, necessitatem hujus evacuationis pro vita animalis perpetuanda summam exponit; hinc de nutritione hujus agens primo ventriculi avium carnosi (dentibus non pennatorum succenturiantis) structuram & actionem evolvit, diversa diversorum animalium alimenta recenset, aliquam chyli portionem ad epar, per venas mesaraicas deferri autumat, omnem vero chylum in corde, pulmonibus aliisque corporis membris in sanguinem transformatum cum succo nerveo immediatam nutritionis materiam declarat, ac denique modum nutriendi mechanicum explicat. Postmodum famis & sitis ætiologiam cum modo, quo utraque tollitur, indagat, causam doloris ac lassitudinis explicat, convulsionum artuum, tremoris ac tandem febrilium excandescentiarum rationes reddit: has posteriores a succi nervei acrimonia extraordinaria, corp. n. irritante, derivans. Et sicut partem totius hujus de motu animalium operis primam quatuordecim, ita hanc secundam quatuor Tabulis æneis exornat ac dilucidat.

LETTRES ESCRITES SUR LE SUJET d'une nouvelle decouverte, touchant la Venë, faite par M. Mariotte;

A Paris, 1682. in 4.

i. e.

Epistolæ concernentes novum quoddam inventum circa visionem, propositum a Domino Mariotto.

Binæ sunt Epistolæ, quibus occasionem dedit assertum Mariotti, visionem non tam in tunica oculi *retina*, quam in *choroide* fieri; quod cum rationibus nonnullis ante quindecim, & quod excurrit, annos Pecqueto per literas communicasset, inter eas tamen sequens Experimen-

tum exposuerat. Sc. affigi jubet parieti obscuriori chartulas duas albas rotundas, quarum dextra facilioris distinctionis gratia sinistram magnitudine notabiliter superet, ita ut harum una ab altera ad duorum pedum longitudinem distet, & paulo altiorem aut humiliorem locum occupet: hinc minorem oculo dextro fixo (sinistro interim clauso) intueri, sensimque ad novem vel decem pedes recta ab illa recedere præcipit, oculum dextrum firmum semper in chartula sinistra detinendo. Quod dum fit, perdit tandem hic chartulam dextram, mox denuo videndam, si oculum eundem ad trium, imo plurium & ultra septem vel octo pedum distantiam, sive in altum, sive profundum, sive ad latus convertas: idemque succedet, si ad eandem distantiam chartulas transponendo (sc. ut sinistra dextra evadat) sinistro oculo chartulam minorem, nunc sinistram, dicta ratione inspicias. Sicut autem in illo puncto aut parte oculi, ubi radii chartæ majoris non amplius percipiuntur, subsit retina, choroides minime; ita non illam, sed hanc, primarium visus organum declarat Abbas Mariottus.

Hoc experimentum (in se quidem certissimum & satis jucundum) attendens Dominus *Perrault*, per alia scripta philosophica celeberrimus, ejus tam ætiologiam, quam consequentiam inde elicitam, negat in epistola hujus fasciculi prima, ad Mariottum exarata. Post dubium enim illud, quod olim se ad Pecquetum transscripsisse refert, quasi nimirum retina in diversis locis, præprimis ubi visio contingit, vasis sanguine turgidis intertexta sit, quæ tanquam corpora opaca satis magna, & objectis ac tunicæ choroidi interjecta, conorum visivorum puncta satis exilia necessario intercipiant, i. e. visionem in hac impediant: Supponit ac prolixe satis deducit, æqualitatem & lævitatem organi ad functionem hanc præstandam maxime necessariam esse, adeoque choroidem, quam asperam & scabram valde pronunciat, minus; retinæ contra superficiem, humori vitreo contiguam, quam aptissimum & primarium visus instrumentum existere. Contra quæ quamvis excipi forsan posset, vasa retinæ exilia adeo esse, ut sua interpositione objecti in choroidem incidentiam haud turbent; imo ipsi retinæ asperitatem, functioni huic minus congruam, eosdem vasorum ramos inducere posse: utrique tamen huic dubio satisfacit. Primo sc. quod quamvis vasa hæc crassitie sua pilum haud excedant, satis tamen impedimento futura sint infinitis conorum visivorum extremitatibus, quarum ope objectum

ctum magnitudinis notabilis, præprimis longius distans, repræsentatur, recipiendis: alteri vero, quod vascula illa, dum crassiorem tunicæ retinæ substantiam trajiciunt, ab hac undique cooperiantur, adeoque hujus lævitas & æqualitas conservetur. Quibus addit, quod, cum actio hæc per contactum, reliquis cunctorum sensuum contactibus longe teneriorem, fiat, illius quoque organum teneritudine atque subtilitate ejusmodi gaudere debeat, quæ ad transmittendos spiritus subtilissimos hoc disponat, ac per quam ab impressionibus, etiam levissimis, idem commoveatur. Hanc conditionem pelliculæ choroideæ utpote crassæ valde, & tenui meninge, a qua emanat, longe crassiori, denegat, in gradu autem excellentiore retinæ tanquam mollissimæ ac tenerrimæ cerebri ipsius substantiæ, concedit. Nec minoris momenti credit *Perrault*, quod Choroides cum nervo optico haud communicet, & parte illa, qua visio fit, membrana alia, Tapes dicenda, cooperiatur.

Nihilominus phænomeni Mariotti ætiologiam facile explicari posse putat idem, Retinam in officii sui possessione minime turbando; dum concessa illa organi visorii æqualitate seu lævitate patescat, locum, ubi retina a nervo optico progreditur, negotio huic minus commodum esse, quatenus hic tunica dicta polituram seu lævitatem illam, quam in reliquis suis partibus exhibet, non habet. Cui accedat, locum, ubi nervus opticus in retinam nondum explicatur, partem ab hac plane diversam esse, vel quod spiritus per locum hunc angustiorem necessario ibi cumulentur & per eundem maximo impetu ferantur; vel quod omnes illæ fibræ, quarum extremitates in partem retinæ diffusam spiritus visivos effundunt, ibi coarctentur, utraque vero ratione visus turbetur. Tandem ipsi non absurdum videtur asserere, forsan hunc retinæ locum visioni ideo minus adæquatum esse, quod choroide subjacente, hic perforata, destituatur: Ex hoc tamen neutiquam inferri debere, choroidem alia ratione, quam aliquid, sine quo visus commode & perfecte fieri non possit (pari ratione ac palpebræ, ligamentum ciliare, humor crystallinus &c.) conferendo, minime tanquam organum primarium, huic inservire.

Mariottus contra in Responsoriis ad hæc, præter dogmatis sui verosimilitudinem, quam olim jamdum Pecqueto per binas epistolas declaraverat, pro illo ulterius defendendo, ac Perraulti dubiis evertendis, alia adhuc non minoris momenti profert. Et primo quidem negat, vasa retinæ sanguiflua visionem in choroide supposita turbare, si uter-

que oculus simul agat; quoniam hac ratione visioni nec directe, ideo quod in illa retinæ parte, quæ axin visionis huicque vicina loca in choroide tegit, nulla vasa reperiantur; nec indirecte, quatenus unius puncti luminosi radii non unum utriusque oculi punctum feriunt, nocere possint. Nec vasa hæc in singulo oculorum, utut in dicto loco existerent, radiorum accessum sufflaminare; quod diaphana, tenuissima & lineæ partem vix æquantia sint, ac quoniam in retinæ potius superficie, vitreo humori contigua & a choroide quam remotissima reperiantur. Quamvis enim inter vasa ab axi visorio remotiora, nonnulla satis magna & ad turbandum visum apta sint, præprimis ubi ex nervi optici basi exurgunt ac in ramulos elabuntur: hoc tamen impedimentum longe minus esse, quam quod in ipsa nervi dicti basi contingit, quatenus hæc septies aut octies latior deprehenditur, quam crassities maximi illorum surculorum.

Quod suum suppositum ut probet Dominus Mariottus, sequens commendat experimentum. Sc. per oculi recentis, antequam extra orbitam suam protrahatur, corneam tunicam duas lineas, unam verticalem, alteram horizontalem, ducit, quæ in centro ejusdem membranæ se ad angulos rectos secant, &, postquam nervum opticum supra choroidem amputavit, oculi circumferentiam ligula chartacea metitur: hinc fasciolæ hujus medium, atrato puncto notatum, super dictum intersectionis locum seu corneæ centrum ponit, & hac ratione oculi peripheriam denuo secundum alterutram illarum linearum mensurat, ut in scleroticæ parte, corneæ opposita, punctum, in quo extremitates illius chartulæ coëunt, observet; quod idem secundum alteram lineam facit, quo punctum axis visorii in facie sclerotidis exteriore deprehendat. In hoc oculum instrumento tenuiore ad duarum aut trium linearum profunditatem perforat, eoque extracto foramini acum aut clavum exiliorem ejusdem longitudinis immittit: postmodum eundem transversim secat, illo modo, quem in altera ad Pecquetum quondam exarata epistola docuerat, & nec in loco retinæ perforato, nec hujus vicinia ullum vas sanguiferum conspici, simul tamen apparere testatur
TAB. III. ramificationem eorum in retina circiter talem, qualis in *prima* sequen-
Fig. 1. tium figurarum sistitur. In qua circulus ABCD retinam constituit, exilior circulus *a e* basin nervi optici, AED, BEC tractus duarum linearum quæ in puncto E sibi ad angulos rectos incidunt, & sectiones planorum

TAB: III. ad A. 1683. pag. 70. seqv.

fig. 2.



fig. 1.



fig. 5.



fig. 3.




fig. 4.



fig. 6.



norum per lineas illas abeuntium repræsentant; E punctum aut axem visorium retinam perforantem, *edc*, *afb* vero bina majora hujus tunicæ vasa, quorum trunci utplurimum ex basi dicti nervi exurgunt; *di* & *fi* autem propagines horum duas minores & centro E propinquiores. Quo facto humorem vitreum a retina tollit, quo sanguis exiliorum horum ramorum splendentis & vividæ satis rubedinis conspiciatur, indeque horum tunicas diaphanas esse, colligatur: quod quidem commodius fieri putat, si acu quidam horum surculorum leventur, eis chartula alba supponatur, ac resecentur, hinc microscopio exactiori exponantur; sic enim vasa illa talia circiter apparere, qualis est *Figura* secunda, in qua linea nigra FIL flumen sanguinis, & reliquum totum crassitiem membranæ transparentis & sanguinis flumine longe latioris repræsentant. TAB. III. *Fig. 2.* *Fig. 3.*

Quod si vero consideretur *figura* oculi *numero 3.* notata, in qua A B humorem crystallinum refert; CD aperturam uveæ, $\alpha\beta\gamma$ conum luminis ab uno luminosi corporis puncto emanantem, $\delta\varepsilon$ partem superficiei anterioris retinæ axi propinquam, & basin coni minoris $\delta\varepsilon\gamma$ ut partem majoris $\alpha\beta\gamma$ excipientem, ita ut foramen uveæ CD ordinarie duarum linearum & $\alpha\beta$ ejusdem fere latitudinis observetur, $\beta\gamma$ sex circiter lineas cum duabus tertiis, ac $\gamma\delta$ retinæ crassities, *tertiam lineæ* partem æquet. Quemadmodum autem $\beta\gamma$, 6 linearum & duarum tertiarum, se habeat ad $\alpha\beta$, linearum duarum; ita $\delta\gamma$, tertia lineæ pars, se habeat ad $\delta\varepsilon$, adeoque $\delta\varepsilon$ decima circiter lineæ pars foret. Supponendo vero, strias, seu fila sanguinis exiliora parvorum ramulorum vigesimam quartam lineæ partem non transcendere, $\delta\varepsilon$ ad crassitiem fili ejusmodi ut 24 ad 10 se habiturum, aut si crassities illa vigesima lineæ pars sit, ut 2 ad 1. Et per consequens, si vasculum aliquod in spatio $\delta\varepsilon$ adsit, notabilem coni luminosi portionem utrinque tractulum illum sanguinis superaturum ad choroidem usque, & si conus ille a stella quadam producatur, hanc oculo non excisuram, etiamsi oculum in uno & indivisibili cœli puncto, satis longo tempore, figere liceat, quale quid ab oculi nimia mobilitate tamen vix expectandum. Imo, si forte oculus in punctum hoc dirigatur, & stella leviter tantum visa sit, impressionem, quæ a visione præcedanea remansit, & illam, quæ aliorsum momento post converso oculo sequitur, stellam illam exhibituram, quasi semper æqualiter visam: simili circiter modo ac carbo ignitus, celerrime

lerrime in gyrum motus, ſemper inſtar circuli apparet, ideo quod ſecunda hujus luminis impreſſio fiat, antequam prior extincta. Et per conſequens impoſſibile eſſe, aliquid hujus defectus inter videndum percipi, aut ſtellam notabilem oculum elabi, ſi aliam lateralem quis intueatur, quamvis tunica vaſis pellucida refractionem ſimilem retinæ refractioni haberet. Aſt quoniam materiam ſulphuream agnoſcat, adeoque ejusdem refractio fere eadem cum cryſtallini refractione ſit, refractionem radiorum in tunica illa fieri, eosque focum exilem in choroide, ſub parvo ejusmodi vaſe in puncto γ formare, quamvis hoc non niſi quartam lineæ partem, aut adhuc minus ab ea diſtet, ideo quod differentia refractionis harum membranarum atque retinæ vix ſenſibili exiſtente, radii, qui verſus extremitates exiliores deflectunt, latera fluminum ſanguinis tenuiorum tranſeant.

Quod vero objecta minora per interpoſitiones majorum ſanguinis fluminum oculum effugiant, hoc experimento evincit Mariottus.

TAB. III. *Fig. 4.* Circulum ſc. chartaceum album, cujus diameter pedem æquat, ſecundum *figuram quartam*, parieti obſcuriori affigit, cujus lateri dextro, ad pedum duorum diſtantiam chartulam minorem, probe illuminatam, cujus diameter pollicis tantum dimidii eſt, jungit, eam ad 4 pollices inferius collocando. Ab his chartulis decem aut plures pedes recedit, usquedum, dextrum oculum ad viciniorem marginem chartæ majoris dirigendo, parvam amittat, ac dirigendo eundem ad marginem oppoſitam illam pariter perdat: Uno verbo augere ac imminuere hanc diſtantiam jubet, ac tentare, usque dum oculum per circumferentiam chartæ majoris vertendo minor oculum ſemper elabatur, & videndo purum ad latus, v. g. verſus puncta QRST, eam denuo conſpiciat. Et tunc animadverti, quod circa loca Y & Z, ſupra & ſub diametro illius circuli verticali, ſpatium tres pollices longum & 3 aut 4 lineas latum ſit, in quod oculus directus chartulam parvam adhuc perdit: cujus rei cauſa non niſi truncis vaſorum *a f b* & *e d c figuræ primæ* attribui poſſit.

Porro ut Choroideam non adeo incongruam, prout quidem Perrault eam pronunciarat, ad videndi actionem eſſe demonſtret, diverſas hactenus ignotas in eadem per anatomen aliaque experimenta exponit proprietates, eidem functioni maxime litantes. Sc. ejus ſuper-

superficiem concavam non asperam, sed quam lævissimam, totam hanc pelliculam non crassam, sed tenuem, vasa sanguifera exilissima partibus ejus nervosis ita intertexta esse, ut visum turbare minime queant, it. nigredinem ipsius ad visionem perfectam absolute necessariam existere &c. E contra retinam minus adæquatum visus organum videri, ex variis hujus conditionibus, v. g. crassitie atque mollitie huicque intertextis vasis sanguiferis, concludit.

Denique contra causas visus in basi nervi optici deficientis, a Perraulto recensitas varia monet, v. g. præter viscosam seu medullarem substantiam & vasa sanguifera nihil aliud, adeoque nec fibras, in retina reperiri, nihil lucis sensibilis per posteriora & nervum opticum oculum subintrare: imo si ætiologiæ illæ veræ existerent, i. e. si fasciculus fibrarum basin nervi optici oppleret, aut notabile lumen per oculi tergum subingrederetur, hæc in anteriore retinæ parte visionem destruere.

INVENTA NOVA MACHINÆ AC NAVIS urinatoriæ: auctore Joh. Alphonso Borello.

UT scientiis omnibus magis magisque excolendis strenue per Europam omnem, quæ seculi nostri felicitas est, viri docti incumbunt: ita non defuerunt etiam, qui *urinandi artem*, utilissimam utique, & pretiosis quibusque ex imo maris fundo extrahendis inventam, novis excogitatis machinis perficere conati sunt. Campanarum urinatoriarum ea in re usus dudum innotuit, aliæque sunt ab aliis inventæ rationes, quibus respirare sub aqua homo possit. Ast novissime *Joh. Alphonsus Borellus*, cum in eo ipso *de Motu animalium* Opere, cujus extrema supra recensuimus, modum, quo sub aqua libere pisces natant ac quoquoversus moventur, accuratissime scrutatus esset, speculando novum genus machinæ, quo homo longo tempore non vivere tantum sub aqua, sed & progredi quo velit, ac natare piscium instar, aut instar cancri repere possit; navis item qua navigare sub aqua commode possimus, consecutus est. Nos, cum in paucorum adhuc manibus Borelli laudatum sæpius Opus versetur, non dubitavimus inventorum horum descriptionem ipsis Borelli verbis, una cum figuris hoc loco exhibere, rem Curiosorum examini subjicientes.

TAB. III. *Fig. V.*

Machinæ constructio, qua homines demersi intra aquam possint per plures horas respirare & vivere.

Fiat vas, seu vesica ænea, seu stannea BMHC diametro duorum pedum, quæ caput A hominis continere possit ad instar galeæ, seu cubiculi, & strictiori collo BC adhæreat scapulis, vertici, & supremo pectori, atque funiculis circa collum æneum BC, stricte alligata veste pellea caprina non penetrabili ab aqua; tunc homo sic tectus, si intra aquam demergatur, poterit per plures horas vivere, libere respirando aerem intra vesicam æneam BMHC inclusum, dummodo aer inclusus debitis temporibus renovetur, ut inferius declarabitur. Fieri vero debet fistula ænea curva IQKL, longitudine trium pedum, quæ in inferiori intermedia curvatura bursam pelleam K annexam habeat, & duo extrema fistulæ orificia I, & L intra cavitatem vesicæ caput ambientis desinant, ut in una anteriori I aer insufflari debeat, altera vero L circa verticem hiet.

Ex hoc artificio duo bona consequentur: primo aer expiratus, & in fistulam insufflatus in longo circuitu IQKL ab aqua externa refrigeratur, sicut aer in tota vasta vesica contentus ab ambiente aqua *frigesit*. Secundo quod, quando stricto ore circa fistulæ orificium I intra eam aerem insufflamus, non fit expiratio per nares, sed solummodo per os, ut patet experientia; ergo si expiratio & ejectio spiritus fiat insufflando aerem intra fistulam illam prælongam & retortam, necesse est, ut in illo circuitu guttulæ vaporosæ adhæreant, & condensentur in parietibus internis fistulæ, velut in pileo alembici contingit, & mox defluendo in bursam illam K excipiantur; hinc fiet, ut aer egrediatur ex altero fistulæ orificio L circa verticem, nedum refrigeratus, sed etiam *depuratus* & exsiccatus; & ideo non excipietur per nares, & per os *eadem illa* portio aeris mox expirata calida, & madida, sed alia *distincta*, *jam* refrigerata & purificata; ergo commodissime *respiratio continuari* poterit, saltem per horæ medietatem, absque *periculo suffocationis*.

Quantitas postea aquæ, quæ cum vaporibus ab ore expiratur in horis 24, non superat libram unam, ut Santorius observavit, & ideo a bursa illa commode excipi potest: nec te sollicitum teneant fumi, & fuligines, quæ ex poris capitis & faciei transpirant. Nam pueri, qui hieme, tecto capite in lecto dormiunt, non suffocantur ab iisdem fuliginibus.

nibus; & proinde urinatores non lædentur ab iisdem fuliginibus in loco similiter clauso.

Quia vero homines vivere non possunt, nisi aer inclusus intra vesicam æneam renovetur, oportet, ut in summo vertice vasis adsint duæ fistulæ æneæ N & O valvulis vel epistomiis clausæ, ut urgente necessitate homo ad confinium aeris accedendo quousque fistularum orificia N, O, extent, ibi apertis epistomiis per unum canalem PMO exsufflari, & ejici aer vetustus possit, dum per reliquum canalem N novus aer circulari motu excipiatur, & mox clausis epistomiis denuo demergatur.

Cæterum vestis caprina debet habere formam quam simillimam humano corpori, & artubus ejus, quæ exacte uniri & aptari debet, cum suis chirotecis & soleis, ut commode motus & contrectationes fieri possint.

Insuper vas æneum, seu vesica capiti imponenda in anteriori ejus parte 2, 3 insertum debet habere vitrum speculare conglutinatum farina calcis vivæ, & ovi albumine, ut homo videre possit ea, quæ in fundo, & in medio aquæ existunt.

Nec obest pondus vasis ænei, aut levitas aeris in eo inclusi. Nam facile totum compositum ex homine & vase reduci potest quam proxime ad æquilibrium cum aqua, additis novis plumbeis fragmentis, vel augendo molem inclusam aeris. Manifestum est igitur, quod tali artificio potest homo intra aquam demersus diu respirare & vivere.

Modus, quo homo eodem artificio sub aqua pro lubitu moveri ac quiescere potest, instar piscium.

TAB. III. *Fig. V.*

Ut igitur nos in aquam demersi, simili machina uti possimus, portare nobiscum debemus grandem Syringam RS, cingulo D alligatam, ad instar gladii, quæ molem aeris contineat æqualem uni pedi cubico; hæc quidem foraminulo S clauso, & ferruminato, insertum habeat cylindrum XV, cum suo epistomio T, exacte claudente rimas omnes laterales; idque vite perpetua, cum suo manubrio Y trahi ad extra, & impelli ad intra possit, a quo aer in Syringa contentus valde condensari, & rarefieri poterit, quod naturæ aeris non repugnat.

His præparatis supponamus, quod homo AF cum caprina, qua induitur, cum cingulis & tegumento capitis æneo BGHC, cum syringa RS, & aere incluso, sit minus gravis specie, quam aqua, ut emineat su-

pra aquæ ſuperficiem aliqua pars galeæ MG; tunc additis fragmentis plumbeis, redigatur tota moles innatantis hominis fere æque gravis ſpecie cum aqua, ut nimirum extet exigua verticis particula G. Et immiſſo epiſtomio T verſus S condenſetur aer incluſus TS in ſyringa, & proinde anterior ejus pars TΩ, quæ aere prius replebatur, mox ab aqua occupabitur, & ideo moles ſyringæ cum epiſtomio minus ſpatium in aqua occupabit: quapropter tota moles natantis hominis cum annexa ſyringa in aqua occupabit minus ſpatii, quam prius; & proinde gravitas ejus ſpecifica augebitur, & ſic primo loco redigetur ad æquilibrium cum aqua, & tunc ubique in medio profunditatis ejus homo quieſcet: & ſi ulterius immiſſo epiſtomio T aer ſyringæ magis comprimatur, & major aquæ copia in ea excipiatur, jam homo gravior ſpecie *ipſa aqua* redditus, ſponte lento motu cadet ad fundum. E contra retracto *epiſtomio* T verſus R, & aere ſua vi *elaſtica rarefacto*, & *expulſa* aqua ex ſyringæ *cavitate* TR, fiet denuo homo minus gravis ſpecie, quam aqua; & proinde ſponte ſurſum aſcendet, quousque aliqua pars ſummi verticis GN extet ſupra aquæ ſuperficiem.

Jam non eſt neceſſe, ut fuſius inſinuemus, quomodo homo per fundum aquæ incedere ad inſtar cancrorum valeat; & ſi *libuerit*, remigio palmarum manuum, & pedum, ad inſtar ranarum, per aquam natare *poſſit*.

TAB. III. Fig. VI.

Navis urinatoriæ fabrica & uſus.

Artificium erit ſimile præcedenti, quo nimirum navis occupando in aqua ſpatium ſe ipſa æquale magis, aut minus poteſt ſponte, ad inſtar piſcium quieſcere in medio profunditatis aquæ, aut ad *fundum* deſcendere, vel verſus ſuperficiem ſupremam elevari. Hoc *fiet*, *ſi* navis ACEG *fundum* EF perforatum fuerit in N, N, N; & *utres* caprini ON, ON &c. in navi contenti prono ore N aptentur, *ut* orificium cujuslibet utris N minutis clavis figatur, aut *funiculis circa* interna labra prominentia foraminum *ſtricte alligentur*, *ut* aqua per foramina ingreſſa ventrem cujuslibet utris replere *poſſit*, & nequeat per ſuturas, aut per interſtitia *clavorum* intra navem exſtillare aut diffluere. Facta tali præparatione patet, quod quando omnes utres ON, ON, in ventre navis contenti aqua repleti ſunt, tunc quidem *navis* minus ſpatii in aqua occupat, quam prius, & quam ſit moles navis. Et proinde gravior ſpecie in ipſa aqua reddita *eſt*; ideoque deſcendet navis ad fundum

non

non secus ac saxum: at si compressis utribus (vecte PO, vite aut alio modo) aqua per foramina N, N extra navim ejiciatur, tunc navis majus spatium in aqua occupabit, quam prius; & transibit per æquilibrium, & tunc quiescet in medio aquæ; si vero deinceps levior ipsa aqua efficiatur, sursum ascendet.

In tali porro navi aptari possunt remi VX, duplici pelle caprina ad foramina lateralia V, V, claviculis annexa, & stricte circa remos alligata, ut aquæ ingressum in navi prohibeant: & hisce remis ad instar pedum navis parum in aqua gravitans poterit impelli, & promoveri innixis vectibus remorum super fundum arenosum. Imo possumus alternatim eam leviorem ipsa aqua reddere, quando sublevata passus conficere debet.

Pro motu vero transversali, remi habere debent palmas XZ flexibiles, similes pedibus anserum & ranarum, ut ampliari possint solummodo, quando aquam retrorsum impellunt; & colligantur complicenturque, quando remi retrahuntur.

Sed forsan facilius navis incessus fiet, impulsæ, non a remis lateralibus, sed ab unico solo remo flexibili, & resiliente palmato, in puppi posito, a cujus vibratione navis, sicuti pisces a cauda impulsi, per aquam commodius incedere poterit.

CLAUDII PTOLEMÆI HARMONICORUM libri tres, e Cod. MSS. undecim nunc primum Græce editi, a Joanne Wallis, SS. Theol. D. & Geom. Prof. Saviliano,

Oxonii, anno 1682. in 4.

EDiderat hos Principis olim Mathematicorum libros Venetiis anno 1562, cum *Aristoxeni Harmonicis*, Latio a se donatos, *Antonius Gogavinus*, *Graviensis* (*Meibomio* in *præf.* ad *Nicomachi Geraseni enchiridion harmonicum*, ex *Gesneri* & *Desselii Bibliothecis*, *Antonius Hermannus Gogava dictus.*) At, quod nulla Musices, Græci sermonis exigua cognitione tinctus, nullo præterea usus judicio, laborem hunc sumsisset, acrem incurrit *Meibomii*, in *præf.* ad *Aristoxeni Harmonica*, censuram. E cujus manu orbis eruditus, jam ab annis circiter triginta, ex quo scilicet suum in emaculandis Veterum scriptis studium, editis græco & latino idio-

idiomate *Antiquæ Musicæ septem scriptoribus*, eidem Meibomius comprobavit, *Ptolemæi* etiam *Harmonica*, græce hactenus nondum prostantia, expectavit: quippe quæ ipse cum *Bryennio*, Notis suis illustrata, modo memorata ad *Aristoxenum præfatione* diserte erat pollicitus.

Cum vero præterlapso tanto tempore adhuc lateret *Ptolomæus*, suæque forte *Meibomium*, quo minus promissis staret, causæ retinerent; longa Eruditorum desideria adimplevit celeberrimus Angliæ Mathematicus *Joannes Wallis*, Professor Oxoniensis: qui (editis Mathesi Universali, Arithmetica Infinitorum, Mechanica; Tractatibus, de angulo contactus & semicirculi, sectionibus conicis, Cycloide & Cissoide, in Dialogum Meibomii de proportionibus; Elencho Geometriæ Hobbianæ; Hobbio heavtontimorumeno; Exercitationibus, de Cometarum distantiis investigandis, reductione fractionum, Periodo Juliana; Grammatica Linguæ Anglicanæ &c. præclaram dudum famam adeptus) postquam anno 1676 felici omnino opera *Archimedis Arenarium*, & *dimensionem circuli Eutocii Ascalonitæ commentario illustratam*, a mendis innumeris repurgata nitori suo restituisset, hæc Ptolemæi Harmonica, ex MSS græcis XI, non minore ingenio quam cura recensa, publico dedit nitidissima.

Constat autem vel Tituli indicio, argumentum horum librorum partem esse Veteris Musicæ, circa Sonituum acumen & gravitatem occupatam. Atque id quod Harmonicæ proprium est, prioribus duobus explicat Autor: tertio vero, proferendis scientiæ hujus finibus latius evagatur, & animas humanas cum cœlestibus corporibus, quæque illis accidunt, legibus ejusdem censet, subjicitque.

Primum porro librum a criteriis, quibus Sonituum differentiæ judicandæ, Sensu & Ratione, exorsus: ab illo quidem, prope verum; hac, accuratum judicium, beneficio Canonis Musici, tanquam instrumenti adjutorii, petendum esse pronunciat: diversus ab Aristoxeneis & Pythagoricis, quorum illi sensui; Hi rationi soli partes has deferebant. Inde ad causas acuminis & gravitatis sonituum, diversasque horum species progressus: Sonos (sonitus discretos) harmonicæ aptos, in Unisonos, Consonos & Concinnos distribuit, & Tetrachordi juxta tria Genera (Enarmonium, Chromaticum & Diatonicum) rationabiles divisiones proponens, quæ horum generum auribus maxime congruant, edisserit. Toto vero sparsim libro Sectarum supra dictarum hypotheses, circa

men-

mensurandas definiendasque consonantias harumque intervalla, & Generum Tetrachordorumque divisiones, impugnat.

Versa inde methodo, Libr. II Generum memoratorum rationes ex sensus judicio derivat. Postea consonantiarum (diapason, diapente, diatessaron) species numero definit, easque omnes Systemati disdiapason inesse docet, cui propterea systematis perfecti (magnitudinis ex omnibus consonantiis compositæ) appellationem, ejusque sonis (numero quindecim) nomina sua tribuit. Mox contemplatione ad tonos (modos sc. aut mutationes, quibus integrum systema variatur) deducta, extremos eorum in Acutum & Grave intra diapason terminat, & quot species ipsius diapason, tot numero tonos (Dorium, Phrygium, Lydium, Mixolydium, Hypolydium, Hypophrygium, Hypodorium) & eorum a proximis quibusque intervalla certa ratione constituit, nec per hemitonia tonorum numerum augendum contendit. Utque, qua ratione ab invicem dissideant Toni, tanto sit liquidius, singulos cum Sonis suis horumque tum juxta Positionem (h. e. situm quem in Dorio, Tonorum medio, obtinent) tum Potestatem, appellationes, singulis exhibet Tabellis. Qualibus etiam, (de Monochordi Canonis veterum imperfectione quædam præmittens) ipsam Canonis harmonici sectionem, primo ad diapason in immutabili Tono, & ad singula Genera (Enarm. Chrom. Diatonicumque, & horum species) juxta diversos Autores; post in singulis Tonis, & ad singula cantici sueta genera distincte exponit.

Ipsam tandem Facultatem Harmonicam L. III pensius contemplatus, inter mathematicas scientias refert, & consobrinam facit Astronomiæ, ambas vero duabus sororibus, Visu & Auditu (cum utraque circa motum occupetur: hæc, solo Visu; illa, solo Auditu perceptibilem) genitas, atque ab Arithmetica & Geometria enutritas. Cumque ipso judice necesse sit, Harmonicam facultatem omnibus inesse, quæ in se utcunque motus habent principium; iis præsertim, quæ naturæ sunt perfectioris: in anima humana, corporibusque cœlestibus vel maxime putat conspicuam. Unde illius tres partes tribus Consonantiis, Intellectivam, diapason; Sensitivam, diapente; Continuativam (ἑκτικὸν μέρος: de quo *Salmasius* ad *Simplicium* p. 302, 306 & *Cicero* de finibus, sub medium l. 5.) diatessaron; Virtutes, sonis concinnis; tria virtutum in regno speculativo & practico (illic Physicum, Mathematicum, Theologicum; hic Ethicum, Politicum, Oeconomicum) genera, tribus concentuum generibus (Enarmonio, Chromatico, Diatonico;) mutationes porro

affectu-

affectuum pro variis vitæ conditionibus, mutationibus concentuum ſ. Tonis, non inconcinno utplurimum ratiocinio comparat. Corporum vero cœleſtium motu deſignatum circulum, Zodiacum, perfecto reſpondere ſyſtemati contendit: in cujus (ex uno puncto, per diametrum, trianguli æquilateri, quadrati & hexagoni latera, ſecti) diviſionibus rationes harmonicæ univerſim omnes non uno modo contineantur. Ipſum porro ſtellarum motum, in longitudinem, motui ſonorum, aut tranſitui a gravioribus ad acutiores; in altitudinem, tribus concentuum generibus; in latitudinem, mutationibus ſecundum tonos: Aſpectus ad Solem, ordini Tetrachordorum; Sphæras tandem Planetarum ſonis ſtantibus perfecti ſyſtematis congruere pronunciat.

Hos *Ptolemæi* libros *Cl. Editor*, collatis ſumma induſtria Codicibus, dilucida non ſolum *Verſione*, in qua perſpicui fidique, non minus ac cauti Interpretis munere probe perfunctus eſt; ſed & *Notis* uberrimis, quas aut variæ Codicum Lectiones (e quibus potiorem ubique in textu ſectatus, reliquas calci paginarum ſingularum ſubjecit) ſufficiebant, aut ipſe pro dexteritate ſua, Autori illuſtrando emendandoque, ex ingenio proprio cenſuit adjiciendas, inſtruxit: ubique, cum de *Autore*, tum de Orbe literario præclare; in reſtituendis tamen Tabellarum, quæ ſectionem Canonis multivariam exhibent, numeris miſerrime depravatis, omnium præclariſſime meritus: quod, purgato hoc Augiæ ſtabulo, *Ptolemæi Harmonica*, ſummo (juxta *Meibomium*) judicio ſcripta: a ſe vero hic loci codicum vitio plane diverſa, non minori ſtudio & labore ſibi denuo reddiderit ſimilia, h. e. harmonica.

Subjunxit *Idem* his eruditiſſimam *Appendicem*, *de Veterum Harmonica ad hodiernam comparata.* Ubi quæ hac de re apud Veteres Muſicos (*Ariſtoxenum*, *Euclidem*, *Nicomachum*, *Alypium*, *Gaudentium*, *Bacchium*, *Ariſtidem*, *Quintilianum*, *Martianum Capellam*) a *Meibomio* editos; *Ptolemæum* item, & nondum editos *Porphyrium* & *Bryennium* ſparſim occurrunt; præcipua, ſi non omnia, atque ex *Boethio*, aliiſque nonnulla, in ordinem ita congeſſit, ut uno velut intuitu, quæ fuerit Veterum Harmonica, quatenus ea ad nos deſcendit, ſummatim perſpiciatur: retentis ſimul Græcorum vocibus, & formulis loquendi (quaſi tot vocabulis Artis) adnotatis ſimul Autorum locis, unde ſunt deſumta. Quæ omnia ita contulit cum hodierna Muſica, ut quid utrique commune ſit, utcunque ſub diverſis loquendi formulis, eruditus lector, Muſicæ hodiernæ non ignarus, facile intelligat.

)o(